

Alte Drucke

**DE MORBIS || PARTIVM || SIMILARIVM || GYMNASMA
MEDICVM. || Quod sub præsidio clarissimi viri, || Dn. IOHAN.
IESSENII à IESSEN || Doctoris, & ...**

Jessen, Johann von

Witebergae, 1596

VD16 ZV 31056

DE SPECIEBVS MORBORVM PARTIVM SIMPLICIVM.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149383



DE SPECIEBVS MORBO-
RVM PARTIVM SIM-
PLICIVM.
CAPVT .I.

MOrbus cūm omnis constitutio sit
præter naturam partis viventis,
lædens primò actiones : ejus tot
genera, quot secundum naturam
constitutiones sunt, futura. Colliguntur hæ
ex partium, quibus corpora nostra continen-
tur, generibus. Harum aliæ simplices, aliæ
multiformes. Simples immediatè ex ele-
mentis constant, inque alias partes dividun-
tur, quarum quælibet nomen & definitio-
nem totius retinet. Hujusmodi caro, cujus
pars quælibet est, diciturque caro, sed affe-
ctionibus inter se, per quas ad componen-
das partes multiformes aptæ, differunt. Sunt
autem multiformes, quæ in partes seciæ,
nec nomen, nec totius definitionem servant,
velut brachium, quod in lumerum, cubi-
tum, & manum secatur, quæ partes nec
sunt brachium, nec ita vocantur: ex simpli-

A 2

cil us

2.
cibus verò jam dictis componuntur, mune-
ribus tamen, quorum causa sic formatæ, di-
stinguuntur. Pro duplici igitur partium
genere, & duplex constitutionis genus. Nos
verò hac disputatione solum de illa, quæ ad ^A
partes simplices spectant, agemus. Harum
sanitas, & secundum naturam constitutio,
actiones perficiens, in elementorum, quibus
constant, temperie subsistit: quæ si immode-
rata, nondum tamen vitæ muneribus obsit, ^B
adhuc intra sanitatis fines degit. Vbi verò
manifestè lædatur actio, jam morbus est, &
contra naturam constitutio, quæ alicujus
illorum, ex quibus temperatur, exuperantia
continetur. Sunt autem elementa quatuor, ^C
quæ primarum qualitatum nomine à Gale-
no recensentur. Horum quodlibet ubi ita
exuperet, ut actiones lædantur, morbus
partium sequitur simularium, cujus species
tot esse necesse est, quot elementorum, quæ ^D
immoderatam eorum constitutionem effi-
cere potentia sunt. At cum jam quatuor esse
posuerimus, calidum, frigidum, humidum,
liccum, totidem & morbi, specie inter se
dissiden-

disidentes, ponendi: Calidus, qui ab exuperantia calidi elementi, frigidus frigidi, humidus humidi, siccus sicci nomen invenerit. Qui verò plures alias species enumerant, pro specie differentias capiunt, veluti cum simul duorum elementorum exuperantiam jungunt, aut ejusmodi exuperantias modò concretis partibus, modò succis inhærere animadvertunt, vel eas æquales, vel inæquales deprehendunt. Sunt enim hæ non species, sed differentiæ, ex illarum numero, quæ in pluribus specie dissidentibus reperiuntur. Vnde quatuor solùm partium corporis nostri simplicium morborum species, quarum singularum causas, signa, & curandi rationem pertractabimus.

De causis morbi calidi.

CAPVT II.

Quemadmodum genera & species in morbis, sic & in causis attenduntur. Respondet autem genus causæ generi morbi, species speciei. Cum igitur ita à natura comparatum, teste 7. Metaph. Arist. ut non modò

A 3

substan-

⁴ substantiæ, sed etiam quæ substantiis acci-
dunt, vim efficiendi in materia similem
formam habeant, morbum calidum à cau-
sis calidis oriri necesse est, adeo, ut non so-
lùm rerum calidarum contactus calefacere A
posse videatur. Res enim tam externas,
quàm corpora nostra calefieri ob motum,
putredinem, retentionem calidæ expira-
tionis, deprehendimus: quamvis res calidæ
non sint, à quibus similem formam materia B
capiat. Plato in Theæteto, omnia ob mo-
tum conservari, quatenus conserventur à
calore, à motu excitato, scribit. Et lib. 2. de
coelo, Arist. tantam calefaciendi vim motui
inesse ponit, ut eo explosum sagittarum C
plumbum lique scat. Libro tamen Meteor.
4. id concreta duntaxat pati vult, quòd li-
quida motu non solùm non incalescant, sed
exhalantibus calidis vaporibus, si quid con-
traxerint caloris perdant. Et Galenus, de D
causis pulsuum, item de tuenda valetudine
1. non tantùm ob corporis motum nimium,
sed et ob animi perturbationes, febres cor-
rumpere, inquit. Motum ergo calefaciendi
vim habere, quamvis res calida non sit, per- E
spicuum.

spicuum. In rebus externis putredo tantum
caloris adfert, ut quandoq; flammam exci-
tet. Sic à fimo columbino 1 de diff. febr. Gale-
nus, ædes conflagratas recenset. Nostra
A quoq; corpora ex putredine ita incalescunt,
ut in febres incidunt, quod illis usu uenit,
quibus 2 Aph. 47. abscessus suppuratur. Cali-
dæ expirationis retentione, ubi accenso igne
januæ, fenestræq; occlusæ sint, incalescit æ-
B stuarium. Similiter, nostra corpora cum stra-
gulis, amictuq; benè teguntur, quod cali-
dæ retineantur expirationes teste Galeno 2.
med. simpl. abundè calfiunt. Cutis item
pori si claudantur, ita calorem augent, ut 8.
C Meth. febrem accendant. Materia postremò,
qua calor quodammodo pascitur, non me-
diocriter ipsum adauget: id quod, ubi ligna
igni adijcias, et lumini oleum instilles, ma-
nifestum. Pariter homines quoque, cum sa-
D tures, aut ebrij sunt, plus satis calefcunt.
Omnia hæc, quæ diximus, quamuis non ca-
lida sunt, calidum tamen morbum effici-
unt. Sed si rem intimiùs pervideamus, ab il-
lis calorem non proximè, sed aliquo inter-
E jecto medio, augeri comperturi, quod non
aliud

6
aliud, quàm res calida proximè similem
gignens, existit. Ea igitur solùm, quæ proxi-
mè calfaciunt, calida: cætera, quatenus ad
rem calidam referuntur. Effectrix enim cau-
sa omnis, quæ neque per se, neque proxima ^A
est, ad eam, quæ proxima et per se sit, rediga-
tur necesse. Retentio caloris non calefacit:
nam id expirationes calidæ præstant reten-
tæ, per quas calefacit retentio. Materia, quæ
calori fomentum quasi suppeditat, non ca- ^B
lefacit proximè, sed quatenus in rem cali-
dam convertitur, similem formam effici-
endo, augeat calorem. Putredo adhuc di-
stantior caloris causa est. Eatenus enim ca- ^C
lefacit, quatenus per ipsum internus hu-
mor ad partes externas elicitur, ubi calo-
rem putrefacientem nutrit, et tanquam res
calidas adauget. Motus atterit, et extenuat
materiam, atque eatenus reddit idoneam,
quæ similiter calorem nutriet, et tanquam ^D
res calida calefaciat. Verùm præter has cau-
sas, à quibus pariter calor in rebus externis
et corpore nostro accenditur, Meht. 10. &
inedia nos calfacere videtur, adeò vt inter-
dum febrem accersat. At neque per se cali-
da est

da est, ægreq; ad rem calidam redigitur,
cū neque nutriarur calore, sed alimento
potius destituatur. Reducetur tamen ad
rem calidam, si id quod in confesso, statua-
tur, siccitatem esse velut cotem caloris, cu-
^A jus vis, nimia humoris copia hebetescit. Per
inediam igitur cū absumatur humor, ca-
lor redditur siccior, atq; ob id acrior, & tan-
quam res magis calida, magis calefacit.
Morbū igitur calidū quicquid facit
^B proximè, calidū est: quæ calida verò non
sunt, ut motus, putredo, retentio calidæ
expirationis, materia, qua pascitur calor, &
tandem inedia, non per se, neq; proximè,
sed quatenus ad rem rediguntur calidam,
^C vim calefaciendi obtinent. Vicinia autem
ignis aut radiorum solis non aliud, quàm
contactus rei calidæ. Aer à sole, vel ab igne
excalfactus, augendi calorem in re, quam
attingit, proxima causa est.

^D De causis morbi frigidi.

CAPVT. III.

Causis morbi calidi repertis, faciles quæ
frigidum efficiunt, inventu. Quemadmodum
B dum

8
dum enim ea, quæ calida sunt, contactu suo
calfaciunt: ita quæ frigida, refrigerant. Qua-
re quicquid proximè refrigerat, frigidum.
Sed videmus multa refrigerandi vi prædita,
quæ tamen minimè percipiuntur frigida, ^A
qualia Galeno de causis morborum, alimen-
ti aut nimia copia, vel inopia, aut vitium a-
liquod, nimia præterea densitas, nimia ra-
ritas, immoderatus item motus vel quies, ^A
quibus omnibus res externas, corporaq; no- ^B
stra refrigerari constat. Ex contactu quidem
aëris frigidi, lib. de Iuventute & senectute,
extinguitur flamma, si parua fuerit. Potu item,
vel aquæ frigidæ lavacro, 11. Meth. febrilis
in nobis ardor extinguitur. Alimenti inopia ^C
calorem extingui cernimus, ut in lucerna,
ubi oleum delit, tum in corpore nostro, si
ob quamvis causam non satis alatur. Licet
autem ob inediam primò calidius fiat: tan-
dem tamen frigidum redditur. Attinent & ^D
ad hanc inopiam, quæ nimium ex corpore
educuntur. Nimia alimenti copia calorē suf-
focat, quemadmodū multa superjecta ligna,
ignem, id quod in nobis quoq; accidit, cum
multitudine esculentorum, potulentorum ^E
que

que calor obruitur, siquidem, uti. 1. Aph. 14.
 Hipp. monet, à multis fomentis extinguitur
 calor. Vitium similiter alimenti aut calo-
 rem minuit, aut extinguit, veluti accidit,
 A cū ligna viridia igni apponuntur, & in
 nobis, si actu, potestateq; frigida crebrò u-
 surpentur. Densitas verò quamvis, perspira-
 tum prohibendo, calorem augeat: eundem
 tamen, ubi nimia sit, extinguit. Calida enim
 B nimium cohibita exspiratio, primò calo-
 rem auget, deinde verò totum absumens a-
 limentum, ut universus deficiat, cau-
 sa est. At quæ huic opponitur raritas,
 nimium, ita ut deficiat, exhalare calo-
 rem sinit. C Corpora namque nostra, ubi
 nimis raram cutem habeant, nimis calida
 exhalante expiratione, redduntur frigida,
 quod & accidere, diu balneis immorantibus
 solet. Motus verò cū proportionē respon-
 det rei motæ, calorem auget: sed si velemen-
 D tior sit, eundem restinguit calorē, non aliter,
 ac exigua flamma, leni ventilatione crescit,
 vehementi eliditur. Potest, quemadmodum
 magnus motus, ita nimia quies, res tam ex-
 E ter.

ternas, quàm corpora nostra refrigerare. Carbo-
 nes accensi, si non ventilentur, extin-
 gui solent. Nobis verò excafactis nimium,
 in Epide: Hippocrates quiescere consulit,
 refrigerandi vim, quieti ascribens, si non alio
 nomine, saltem quòd motu calor non exci-
 tetur. Res ergo tam externas, quàm corpora
 nostra, ab iis etiam, quæ tactu non percipi-
 untur frigida, refrigerari constat. Id verò
 quomodo contingat, perpendendum super-
 est. Antè autem pro affirmato usurpavimus,
 tam substantias, quàm quæ his accidunt, à
 simili causa proximè fieri: unde necessum,
 proximas causas omnes, aliquo pacto, ad
 causas frigidas redigi, quo respectu, vim re-
 frigerandi obtenturæ. Alimentum quidem
 vitiosum, ut in calidam vertatur substanti-
 am, minus idoneum, hinc frigidum rema-
 net, & ut res frigida, refrigerat. At causæ re-
 liquæ, velut copia vel alimenti penuria,
 raritas vel densitas, motus vel quies, non tam
 facilè redigi ad res frigidas queunt. Non n.
 ita substantiam frigidam contrahere, per
 quam proximè refrigerent, ac causæ calidæ,
 videntur. Dubium hoc facile reddet memo-

ria

11
 ria Aristotelici illius de frigore asserti,
 ex duobus contrariis, unum in habitu, alte-
 rum in privatione consistere, proprieque à
 calore habitum, à frigore verò privationem
 A caloris provenire. Privari autem rem calore,
 vel quoddam frigore extinguatur contrario, vel
 quod idoneo alimento deficiat. Quotquot
 igitur causæ, quamvis frigidae non sint, refri-
 gerandi tamen vim habent, ad alimenti
 B paupertatem referuntur. Hoc nomine ali-
 menti paucitas, cum desit, quo foveatur ma-
 teria, calorem minuit. Magna item copia,
 perspiratum prohibendo, calorem strangu-
 lat, quorsum & densitas, nec non quies,
 C quibus similiter perflatio aufertur, spectat.
 Nimius insuper motus calefaciendo, & rari-
 tas transmittendo, alimentum dispergunt.
 Pater hinc, causas refrigerantes omnes, quæ
 ad res reduci frigidas nequeunt, ad inopiam
 D redigi alimenti. Nec se habet negotium in
 causis refrigerantibus, quemadmodum in
 calfacientibus statutum, quæ necessario om-
 nes ad calidam substantiam referuntur.
 Quare cum frigus in caloris privatione con-
 E sistat, & hæc non tantum à contrariis, nempe
 B 3 frigidis

frigidis, sed ab alimenti quoque penuria nascatur, & quicquid frigidum est, & quicquid alimenti accersit inopiam, frigus affert.

De causis morbi humidi.

CAPVT IV.

MAGNA cum causarum humectantium sylva, ad certos locos redigendæ, ut qua ratione una juxque madefaciendi vim obtineat, morbumque efficiat, constet. Desumuntur causæ omnes, vel ab externis, vel à corpore nostro. Externa sunt, aer, cibus, potus, medicamenta vel intro assumpta, vel foris applicita. Ad corpus nostrum referuntur, tum quæ motus inconstantia transeunt, tum quæ permanent. Transeunt, somnus, vigilia, motus, quies, animi perturbatio, tranquillitas, retentio, excretio, à quibus omnibus madefieri corpus nostrum potest. Aer enim ex pluviarum frequentia, flatu austrino, humentia non parum reddit corpora, id quod cibus & potus qualitate humidus, & largè usurpatus, aquæ item dulcis balneum, & medicamentum simili vi præditum, præstat. Inter ea verò quæ ad corpus nostrum attinent,

nent, ex his quæ transeunt, somnus,
 quies, animi tranquillitas, retentio humo-
 ris nimia, constitutionem corporis nostri
 nimis reddunt humidam. Ex permanenti-
 bus verò, qualitas unius partis humida, si-
 milem & quam attingit efficit. Succus item
 humidus, velut pituita plurima, partes, quas
 occupat, mirè humectat, uti ex tumore
 pituitoso, & ea Hydropis specie, quam
 B λευκοπλευματία vocant, patet. Huiusmodi igitur
 humidus morbi effectrices causæ exi-
 stunt. Restat tamen efficiendi monstranda
 ratio. Quicquid proximè madefacit, humi-
 dum esse, necesse est. Hæc enim qualitas,
 C non secus ac cæteræ, à simili gignitur. Aër
 humidus, balneum aquæ dulcis, medica-
 menta humida: & ex internis, ut qualitas
 unius partis humida, humidus item, velut
 pituita, succus, proximè ac per se vim hu-
 D mectandi corpus nostrum obtinent, ob si-
 milem, quam nata, qualitatem. Cibus ve-
 rò & potus, non solum ea de causa mades-
 ciunt, sed quòd etiam in alimentum, &
 substantiam convertantur humidam. Re-
 E tentio humoris, qui excerni debet, ad hu-
 midum

¹⁴
midum succum pertinet, qui tanquam
res humida, nos humectat. At somnus,
quies, animi tranquillitas, quod humores
non digerant, atque dissipent, ad humori
referuntur retentionem, eatenusque lubris ^A
cant. Similiter frigus, quod superflua di-
geri, ac concoqui non permittat, humida
nostra corpora præstat.

De causis morbi ficci.

CAPVT V. ^B

Siccus morbus siue talis temperatio, in qua
elementum siccum adeo reliqua superat,
ut evidens munerum sequatur præpeditio,
a causis nascitur compluribus, quæ ad eas-
dem classes, ad quas humidi morbi causæ, ^C
referuntur. Quæ enim corpus nostrum sic-
cant causæ, vel res externas, aut nos ipsos at-
tinent. Externa sunt, aer siccus, qualis
regionum montanarum et aquilonarium,
balneum aquæ dulcis diuturnum, aquæ ^D
marinæ vel metallicæ, medicamenti ficci,
cibi potusque siccioris & parcioris usurpatio:
Quæ omnia si valde calida, frigidaque sint,
siccitatis causa esse queunt. Quæ vero nos ^E
attinent,

attinent, partim ex transeuntium, partim
permanentium genere sunt. Propria uerò ex
his, quæ permanent, uigilia diuturnior,
motus & labor immoderatio, assidua et
A uehemens animi perturbatio, tum inani-
tionis magnitudo, morbum siccum facit.
Ex permanentibus uerò, qualitates et succi
siccum morbum afferunt. Ex succis propriè,
flava bilis, pituita quæ salsa, quibus tanta inest
a siccandi potestas, ut intolerabilem conci-
lient sitim. Ex qualitatibus, unius corporis
partis siccitas eandem et alteri quam attin-
git, conciliat. Nimius calor ob febrē vel ar-
dentem, uel diuturnam tabificus, quemad-
e modum si immoderatum corpus occupet,
frigidus. Ab his omnibus morbum causari
siccum, cum expeditum sit: superest expo-
nendus modus. Quod proximè et per se sic-
cat, siccum oportet existat: liquidem uelut
d ardor, frigus, humor, sic et siccitas proximè à
simili gignitur. Ex dictis igitur quicquid
siccum proximè & per se, siccum morbum
peragit. Aer siccus, qualis regionum monta-
narum aut aquilonarium, in aquam mari-
e nam uel metallicam descensus, siccorum
C admotio

admotio medicamentorum, similium ef-
 culentorum & potulentorum vsurpatio,
 proximæ partis siccitas, succus retentus si-
 milis, vt flaua bilis uel pituita salsa, omnia
 cùm sicca sint, meritò in eorum numero
 censenda, quæ proximè morbum siccum
 efficiant. Cætera verò nequaquam proxi-
 mè, sed quatenus humorem absumunt,
 quo cùm priuantur corpora, redduntur
 sicca, quemadmodum quæ calore priuan-
 tur frigida. Nam qualiter calor, ita & hu-
 mor quendam notat habitum: & rursus,
 ut frigus priuationem caloris, ita siccitas
 humoris notat. Quæcunq; igitur humi-
 ditatem absumunt, cùm ea partes nostras
 spolient, exiccant: Quamuis sicca non sint,
 & propterea similem qualitatem non relin-
 quant. Priuant humore, quæ calfaciunt
 extrahendo, & quæ refrigerant exprimen-
 do, sicuti ab Aristot. 4. Meteor. & 2. de part.
 animal. annotatum.

De signis morbi calidi

CAPVT VI.

Temperatio cùm ita calida, ut actiones
 lædat, si partibus insit externis, tactu
 perci-

percipitur, si verò internas teneat, colligendus primò ex corporis patientis habilitate, quod ubi naturaliter calidius sit, morbum calidum ostendit. Postea si communiter morbus uagetur calidus, ne æger simili implicetur affectu, suspicio. Tertio si ea profint, quæ refrigerant, morbum contrarium, nempe calidum: si obsint, similem demonstrant. Subita quoque inuasio, morbum potius calidum vel frigidum prodit. Morbi enim sicci, vel humidi aduentus lentus. Sed celerius calescit corpus, quam refrigeratur, ita ut subita corruptio caloris immoderationem designet. Apertius autem ex causis efficientibus calidus colligitur morbus: quandoquidem ubi calfaciendi uim habeant, siue externa sint, siue ad corpus nostrum attingant, calidum morbum significant. Sed & ex effectis quoque morbi calidi notas accipimus. Et primò ex actionibus læsis, ex quibusdam non solum speciem, sed & læsionis modum animaduerrimus. Vt enim actionum quædam specie calore, uelut libro art. Medicin. coctio: ita quædam frigore, uelut ap-

C 2 petentia

18
petentia: Vtraq; autem facile contrario of-
fenditur. Quare appetentia læsa, calidum
morbum, tanquam causam, à qua læditur,
ostendit. Modus læsionis uarius, cùm acti-
ones interdum auferantur, interdum mi-
nuantur, interdum deprauentur. Aufe-
runtur uel minuuntur frigore, propter
quod partes corporis nostri. 3. de sympt.
causis uel omnino redduntur immobiles,
uel non nisi difficulter mouentur: Calore, B
quod nimiam efficiat mobilitatem deprau-
uantur. Eam ergo temperationis immo-
derationem, à qua maximè oritur, læsio-
nis modus demonstrat. Quod uero ad effe-
cta in ægro sensui exposita spectat, si cutem C
magis coloratam aspiciemus, tactuq; magis
calidam persentiemus, morbum calidum,
à quo ejusmodi mutatur qualitas, conijcie-
mus. Restant urina, uomitus, dejectio. D
Hæc ubi magis colorata sint, potiusque co-
cta quàm cruda: morbum similiter, unde
proficiscuntur, calidum designant. Multa
igitur ab effectis morbi calidi desumun-
tur signa.

De E

19
De signis morbi frigidi.

CAPVT. VII.

Intemperies frigida vbi externas obsidet
partes, sensu tactus dijudicatur: vbi ve-
A rō internas occupet, signa ex locis proxi-
mè ostensis colligenda, verum modo con-
trario, ac in calida se habentibus. Corpus
enim si natura frigidum sit, facilè morbum
inducit consimilem, eundem notat, si item
B morbi grassentur frigidi: pariter ex noxijs
& iuuantibus, morbum arguimus frigi-
dum. Maximè verò eundem causæ, & ef-
fecta ostendunt. Causæ cū externæ, tum
internæ refrigerandi vi præditæ, à capite
C proprio repetendæ. Ab effectis quoque
plurima rogantur signa, & primò ab actio-
nis læsis, quarum nonnullæ species fri-
gus, à quo offenduntur, demonstrant, vt puta
coctio & attractio. Modus quoque lætio-
D nis frigidi morbi, à quo auferuntur, aut
imminuuntur magis quàm deprauantur,
morbi fidem facere potest: Motus enim
difficilis redditur minuiturq; , cū con-
trà à calore augeatur ac deprauetur. A fri-

gore quoque. de causis puls. respiratio & pulsus imminuitur. E qualitatibus, quæ in ægro sensu percipiuntur, color albus perspicitur, cutis frigidior tangitur. Quæ verò extruduntur, cruda minusq; colorata spectantur. His omnibus, immoderata temperatio deprehenditur frigida.

De signis morbi humidi

CAPVT. VIII.

MOrbo humido si externæ afficiantur particulae, id sensus indicabit tactus, quo libro art. Medicin. mollities solum sentitur: Verum ratione, qua discernatur, num ea calorem liquefacientem consequatur, opus est. Nam ubi hic absit, eius causam nimum humorem esse diuinabimus, atque tum ex mollitie temperationem humidam esse intelligemus. Quod si verò internas detineat partes, ratiocinatio futura necessaria, argumentis à locis indicatis desumptis: ex quibus, quod ab effectis, & primò pro actionis specie ac modo læsis, futurum grauissimum. Ex actionibus animalis, languet phantasia, ratio, memoria: tum sensus

24

sensus debet redditur, debilitatur motus:
Ex vitalibus pulvis mollis, ac tardus effici-
tur: Ex naturalibus, retentio minuitur, ex-
pulso augetur & deprauatur: Ex corporis
A qualitatibus, tactu mollities sentitur: Ea
verò quæ extruduntur, copiosa existunt &
tenuia. Atque his humor exuperans de-
monstratur symptomatibus.

De signis morbi sicci.

B CAPVT. IX.

Sicca nimium effecta an externa sint, ju-
dex tactus futurus, quo quidem durities
duntaxat percipitur. Consultum tamen
si ratio ueniat, ejusmodi durities num a sic-
C citate, plenitudine, aut frigore proficif-
catur, distinguemus. Distendit plenu-
do partes, quibus continetur, adeo, ut du-
ras efficiat, cogendo uerò duritiem frigus
accerlit, quod tamen non prius 2. de
D Temp. homini, quam cum morti proxi-
mus, accidit. Quare cum tactu perce-
pta durities est, hæc an immodicam pleni-
tudinem, an frigus sequatur, ratiocinabi-
mur. Sed si siccitas ueretur in partibus in-
E ternis

ternis, sola mente indagabitur. Vnde necessaria, quæ nobis suppeditant dicti loci, signa. Efficacissima autem præ cæteris hæc effecta. Mens acrior fit, delirat tamen, ubi nimium augeatur siccitas. Sensus item acrior redditur: quanquam & ipse processu temporis, ueluti & motus, læditur. Qui licet ob siccitatem initio fiat ualidior: ita tamen ea aucta offenditur, ut deprauetur. Pulsus efficitur durus, imminuitur expulsio, augetur retentio. Ex qualitatibus sensibilibus tactu durities percipitur, pauca sunt & crassa, quæ detruduntur. Ex his ergo effectis immoderata sicca temperatio conijcitur.

De cuiuscunque intemperiei curationis operibus & instrumentis.

CAPVT X.

Partes simplices immoderata temperatione implicite, quæcunque illæ fuerint, opus postulant contrarium. Nam ubi excedit calor, refrigerare: ubi frigus, calfacere: ubi humor, exiccare: ubi siccitas, madefacere oportet, quicquid à naturali statu recessit.

Quod.

Quodcunque autem ex his operibus efficiendum, tum differentias operandi, tum instrumenta, per quæ efficiatur, requirit. Refertur autem opus omne ad qualitatem, ^A quantitatem, numerum, tempus, locum, motum, ordinem. Sed quantitas ad speciem operis, quod in corrigenda intemperie requiritur, magis spectare videtur, quam ad differentiam. Nam si quæras, quale conveniat opus, ubi curanda immoderata temperatio: dicemus contrarium, cum refrigerare calida, & humectare sicca necessarium sit. Quare operis qualitas cum specie, in ejusmodi curatione, concurrit. Sub quantitate ^C & gradus operis, & spatium, ad quod adhibetur, comprehenditur. Debet gradus operis, gradui recessus a naturali statu æquipollere, ita ut quæ uno gradu recesserunt, unoquoque gradu operis curentur, quæ duobus ^D duplici, & sic deinceps. Non enim aliæ cognitio naturalis temperationis spectat, nisi ut pateat, quantum recesserit, quod immoderatum factum est. Spacium verò, quod ab intemperie factum, si magnum sit, magnum ^E pariter, ubi opus adhibeatur, spacium

D um

um requirit: Parvo autem parvum sufficit.
De numero operum hoc tenendum, cum
intemperies corrigitur, si unus sit morbus,
unum duntaxat opus requiri. Sed si multi-
plex, tot opera convenire, quot sunt ea, quæ ^A
præter naturam simul juncta: nisi si quando
unum idemq; opus pluribus scopis sufficiat,
velut si cum caloris excessu tenuitas junga-
tur succorum, ubi refrigeraverimus, eo-
dem opere & calorem contemperabimus, ^B
& crassiores succos efficiemus. Ad tempus,
partim occasio adhibendi opus, partim diu-
turnitas, qua in eo perseverandum, refer-
tur. Tunc autem adest adhibendi opus oc-
casio, quando ab intemperierum aliqua re- ^C
quiritur: in eo verò pro diuturnitate & bre-
vitate morbi perseveratur. Locus, ubi pera-
gendum opus, vel totum corpus, vel aliqua
pars existit. Si igitur totum corpus ægrotet,
opus similiter ad totum pertinebit, ut cum ^D
febricitantem refrigeramus: Sin partem oc-
cupet, illi, siue interna, siue externa, opus ap-
plicandum. Et cum opus ad locum affe-
ctum pervenire debeat, illud augendum, ut
licet remittatur, nihilominus scopo indica-
to

to respondeat. Sed habenda & dignitatis ratio. Non enim nimium refrigerandum viscus princeps est. Modus, quo intemperiei correctio fit, respondeat, quam illa servat, modo. Nam si tota simul est, & ipsum quoque totum simul efficiendum: Sin partita, opus quoque partiendum atq; iterandum. Ordo denique in opere tunc attenditur, ubi vel unum simplex, vel multiplex effici debet: quod evenit, ubi plura vel diversa sunt requirentia, ita ut idem opus omnibus satisfacere nequeat. Quamobrem inter plura tunc efficienda, necessarius ordo est, cum omnia simul fieri non possint, sed unum prius, alterum posterius agendum. Idem autem, qui apparet in scopis ordo, & in operibus tenendus: ita ut prius sit opus, quod a priore scopo, posterius quod a posteriori requiritur, efficiendum. Nam si calor adsit immoderatus cum humoris copia, hæc, tanquam causa sine qua non, antecedit illum. Quare prius corpus exinanandum, dein refrigerandum. Et hæc de operum differentiis. Quemadmodum igitur opera non absolute, sed quibusdam consideratis animadversionibus,

D

nibus,

nibus, scopis, à quibus requiruntur, applicantur: Ita instrumenta quoque non simpliciter, sed cum quadam animadversione accommodantur. Consistit autem rectus instrumentorum usus in eo, ut citò, tutò & jucundè, operibus, atque operum differentiis respondeat: sicut rectus usus operum in eo, ut scopis atque scoporum differentiis satisfaciant. Sunt verò instrumenta per se, materia præsidiorum, sed efficiuntur præsidia, hoc est, observatis certis animadversionibus, seu differentiis adhibitis. Eadem enim, quemadmodum lib. de constitut. artis Herophilus docuit, pro recto, uel prauo usu, profunt aut obfunt, sanitatisq; & morbi causa existunt. Desideramus igitur, ut primò instrumenta operibus, quæ efficere nitimur, respondeant: dein ut ad ipsorum accommodentur differentias. Satisfaciunt operibus per facultates, quas obtinent: differentiis autem per similes accommodantur differentias. Duo itaq; in instrumentis attenduntur: facultas, & differentia. Instrumentorū facultas consistit in uictu, medicamentorū recta usurpatione, &

A

B

C

D

E

& operum chirurgicorum tentatione. Ad
opus ergo quoduis efficiendum, eo uten-
dum instrumento, quod illud efficere ualeat.
Quod enim non callida victus ratio, id me-
dicamentum quod non medicamentum, id
A ferrum aut ignis, secundum Hippocraticum
illud, confecturum est. At differentia quæ
in instrumentis sunt attendenda, totidem
sunt, quot in operum administrationibus
B nominauimus. Qualitas enim instrumen-
ti, similis qualitati operis esse debet. Quan-
titas instrumenti, siue ad uim, siue molem ef-
ficiendi referatur, operis quantitati par sit. Ea-
dem & ratio numeri instrumentorum esse ui-
C detur, qui numero operum repondeat: ita
ut tot capienda instrumenta sint, quot per-
agenda opera. Sed interdum idem instru-
strumentum, quod multiplici facultate præ-
ditum, plura simul efficere opera potest: in-
D terdum e contrario ad idem plura necessa-
ria, quo nomine mixtio medicamentorum
instituta. Tempus, quo adhiberi instrumen-
ta conuenit, non aliud est, quam id ipsum, quo
requiruntur opera, quibus, cum necessaria,
E utendum: Quorsum non solum occasio,

D 3

sed

²⁸
sed & agendi modus refertur. Tamdiu enim adhibitio medicamento facienda, quamdiu opus illud exigitur. Locus similiter, cui applicandum instrumentum, loco, ubi opus postulatur, respondeat. Modus adhibendi instrumentum ille ipse est, qui in adhibendis operibus desideratur. Et quemadmodum opera quædam simul, tota efficere, quædam partiri & iterari conuenit: ita & instrumenta. Item quemadmodum opera quædam leuiter, quædam uenementer: ita & instrumenta impellenda. Restat ordo, qui in instrumentis idem seruari debet, ac in operibus seruatur efficiendis, ita ut unum instrumentum cum alio, uel ante aliud, uel post aliud adhibendum sit.

De auxiliorum materijs, cuiusque
intemperiei accommodatis.

CAPVT XI.

Medentur nimie caliditati victus & medicamenta. Ad videndum sex res non naturales pertinent. Aer refrigerat frigidus: qui si natura non talis, uelut ætate fit; arte, aqua asperso, frigida conclauis, efficiendus. Cibus frigidus, ut panis ex aqua coctus, cremor prisanæ, pilces saxatiles, animalium extrema. Potus item aquæ hordei, cui zulapia de viola seu rosa permixta, aut uinum multa aqua dilutum, refrigerandi prædita

- prædita. Prodest quies & affectuum sedatio, flavæ bilis eductio, pituitæ retentio. Vbi victus ratio non sufficiat, addenda medicamenta. Refrigerant primo gradu, gramen, hordeum, rosa, malva, pyrum: Secundo lens palustris, cucurbita, plantago, psyllium: Tertio portulaca, sempervivum: Quarto, papaver, & ejus lachryma. Hæc interno corpori offeruntur. Extrinsecus ceratum liquidum imponitur. Oleum item, & succi è stirpibus illinuntur, è quibus herbis & cataplasmata finguntur. Frigiditari contraria profunt: Aër nimirum calidus, talis item cibus, aromaticum ulus, vini veteris & generosi haustus. Somno caluunt partes internæ, vigilia externæ: vicissim vsurpata utraq;ue. Consert motus & animi perturbatio, sanguinis & bilis retentio, pituitæ dejectio. Medicamenta, siue intus assumantur, aut foris applicentur, primo gradu calida, althea, semen lini, chamemelum: Secundo capparitis, scenugræcum, apium: Tertio origanum, dictamnus, asarum: Quarto euphorbium, tithymallus, pyretrum. Quæ præter naturam facta humida sunt, siccant quæ per se talia, humorem quidem exprimendo frigida, absumendo verò calida, vi potentiori prædita. Conuenit aër siccus, si cum frigore jungatur, velut aquilone flante: siue cum calore velut æstare. Cibus quantitate paucus, teste Aphorismo, corpora exiccat humida. Multo verò potentiùs quantitate siccus agit: cuiusmodi brassica inter olera, lens inter legumina, milium inter frumenta, inter fructus amygdala, Caro ferarum magis quàm cicurum siccatur, magis sallita quàm recens, plus assa quàm elixa. Potus prodest quantitate paucus, qualitate siccus: qualis posca aut vinum austerum. Excedat vigilia somnum: Auxiliantur motus affectuumque concitatio, siccorum retentio, madefacientium extrusio. Inter medicamenta primo gradu siccant, hordeum, faba, crocus: Secundo oriza, anethum, menta, spica nardi: Quarto sinapi, allium: Quibus & intrò datis & foris applicitis utimur. Quod exiccatum, madefieri debet: quæ res non ita facilis, propter humidam qualitatem, quæ parum efficax. Non enim ad madefaciendum calida aut frigida, quemadmodum ad exiccandum, adhibentur. Inest tamen hæc vis alimentis: siquidem medicamenta, & cætera, quæ sub victu continentur, eatenus madefa-

madefa-

malescunt exsiccatum, quatenus ulterius exiccare non permittunt. Cibus igitur sit quantitate moderatus, ut concoquatur. Non enim reficit humorem, qui sumitur: sed qui concoquitur. Sit lenis, non salsus, acris, amarus, acerbus, aut aufterus: Potius elixus quam assus. Laudat 7. Meth. Galenus lac statim emunctum, ac potui datum. Item vinum dulce, tenue. Aër convenit humidus, somnus prolixior, corporis animiq; quies, magis retentio quam dejectio. E medicamentis primo gradu malescit buglossum, dulcis, radix malva: Secundo atriplex, cucurbita, lactuca, portulaca, aqua frigida sive calida. Quæ verò ultra malescunt, simul frigida existunt. Et hæc de morbis partium similium: De instrumentalium in posterum acturi.

